

DISA



11

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**SIMVLATIS FEBRIBVS  
INTERMITTENTIBVS IN  
VISCERVM LAESIONIBVS**

---

QVAM  
DIVINI NVMINIS AVSPICII  
CONSENSV ATQVE AVCTORITATE  
GRATIOSI ORDINIS MEDICI

PRAESENTE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO

**DN. IOANNE IVNCKERO**

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROF. PVBL. ORDIN.  
PAEDAGOGII REGII ET ORPHANOTROPHEI GLAVCHENSIS  
PRACTICO LONGE CELEBERRIMO

PRAECEPTORE AC FAVTORE

AD VRNAS VSQVE DEVENERANDO

**PRO GRADV DOCTORIS**

SVMMISQUE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS INSIGNIBVS AC  
PRIVILEGIIS MORE MAIORVM SOLEMNI OBTINENDIS

H. L. Q. C

AD DIEM AVGUST. MDCCCLVI.

PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVEMITTIT

**IOANNES AVGUSTVS EVERIS**

LAVENBURGENSIS.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,

TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.



DISSERVATOS IUNVERSITATIS MUNICPOLIS)

INTERMULTATIS HABERAS

AGERAM LATERATONIFAS

---

PRAKTIDE

DEN IONNE IUNCFERO

PROGRADA DOCTORS

IONNE IUNCFERO

IONNE IUNCFERO

---


DEN IONNE CHERISTIWI HIELCHERY VER THORE

VIRIS  
SVMME REVERENDO  
AMPLISSIMIS CONSULTISSIMIS  
DOCTISSIMISQVE  
CHRISTIANAE FUNDATIONIS  
B. SCHOENBECKII  
QVAE STENDALIAE EST  
DOMINIS EXECUTORIBVS ET ASSESSORIBVS  
PATRONIS MAECENATIBVS AC  
FAVTORIBVS  
AETERNO OBSERVANTIAE CVLTV  
PROSEQVENDIS,

NEC NON

VIRO  
PLVRIMVM REVERENDO  
ATQVE DOCTISSIMO  
IOANNI FRIDERICO EVERSI  
PARENTI SVMMA PIETATE  
AD VRNAS VSQVE COLEND  
ECCLESIAE ARTLENBURGENSIS PASTORI FIDELISSIMO,  
PRIMITIAS HASCE STVDIORVM ACADEMICORVM  
GRATAE MENTIS SIGNIFICATIONEM  
QVALEM CVM QVE  
SACRAS ESSE VOLVIT  
TANTORVM NOMINVM

CULTOR OBSERVANTISSIMVS AC FILIVS OBEDIENTISSIMVS.  
IOANNES AVGUSTVS EVERSI.



## PRAEFATIO.

**Q**ui *bene distinguit*, bene etiam *docere ac disputare* et olim et hodie indicatur. Sicut autem hoc dictum in reliquis scientiis valet: ita in Medicina quoque illius veritatem et utilitatem adeo perspectam habemus, ut bona fiducia addere liceat, bene distinguenter *bene etiam morbis mederi*. Interea rō bene distinguere maximam quoque Medicis facessit operam: quanta enim inter complures morbos intercedit conuenientia, quam multi adeo inter se cohaerent, ut istos a se inuicem distinguere ardua fane res sit. Sed quod optimum est remedium ex hoc labyrintho felicissime emergendi, subministrant motus in morbis praesentes: hi enim eorumque indoles nos docent, quaenam sit causa materialis interna, cui motus sunt oppositi. Sane neglecta horum attentione

A 3

omnem

omnem perderent operam Medici, et licet reliquis circumstantiis probe pensitatis numquam tamen veras morborum caussas eruerent, quas tamen isti, qui ad motus re<sup>ete</sup> attendunt, in plurimis morbis facile cognoscere valent. Ordinarie enim quaelibet materia peccans interna certum schema motuum sibi habet oppositum, vti hoc exemplum *matris*, vt ita dicam, fere omnium morborum, *plethorae* scilicet, luculentissime demonstrat. Humores enim, si simpliciter in corpore nostro abundant, adhuc vero satis fluidi sunt, numquam motus sequuntur spastici aut conuulsiui, sed plerumque moderatiores haemorrhagici, materiae peccanti proportionati, scilicet vt *plethora* imminuat, et reliqua incommoda praecaueantur. Si vero humores abundantes spissitudinem simul coniunctam habent, tum sequuntur motus congestorii, paullulum vehementiores, qui itidem nihil aliud sunt, quam motus haemorrhagici, qui vero, ob spissitudinem humorum, finem optatum attingere non possunt. Quare, vti ex motibus haemorrhagicis ad *plethoram*, sic ex congestoriis ad humorum spissitudinem concludere possumus. Dolendum vero admodum, quod nonnumquam etiam occurrat status extraordinarius, in quo motuum schema non raro mutatur, vnde fit, vt unus morbus alterum saepius mentioniatur seu simulet. Hoc vero contingit vel apparenter ex similitudine motuum cuiusdam morbi cum alio quodam, vti in malo hysterico dolores exquisitissimi, vrinae emissionem comitantes, saepius imponunt Medicis, vt calculum subesse putent, vbi tamen ne vestigia quidem calculi adsunt; vel euenit hoc ex vitio motuum et aliis caussis accidentalibus, vbi scilicet motus mate-

materiae non sunt adeo proportionati, vt ex ipsis ad materiam peccantem internam concludere valeamus. Sic quae schemata motuum viscerum laesioribus ordinarie accidunt, illa interdum febres intermittentes simulare obseruamus. Quoniam vero in tali casu misere decipiuntur, qui istiusmodi simulatas febres pro genuinis ac ordinatis intermittentibus habent, ideoque etiam prognosin salutarem fistunt, ac inde ob minus succedentem curationem haud leues contumelias perferre ab aegrotantibus coguntur, tum huius rei sequentibus paginis vberiorem explicationem, quam non omni prorsus vtilitate destitutam fore arbitramur, exhibere animus est.  
Faxit SVMMVM NVMEN feliciter!

## §. I.



uum mihi proposuerim de intermittentibus simulatis febribus, viscerum laesiones interdum excipientibus, vberiorem exhibere explicationem, memini omnino, methodi esse, vt subiectorum, quae ventilantur, notiones praemittantur; ast quando considero, quod *visceris* idea neque tironem anatomicum fugere possit, illi definienda supersedeo; *laesonis* autem conceptus, quia a Medicis admodum late sumitur, vtique determinandus est. Non itaque sub *visceris* laesione hic qualcumque illius statum praeternaturale intelligo, sed talem conditionem, qua continuum vel vere iam laesum est, vel continui saltim laesio ex praesentibus signis imminet.

## §. II.

8 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

Conuenit autem harum laesiorum specialem indolem exhibere, cum haec ipsae sint subiecta, de quibus affirmamus, quod in iis, loco ordinariorum motuum, interdum simulata intermittens obseruetur. Oriuntur autem haec laesiones vel a caussis externis vel internis: quae a prioribus dependent, exhibent potissimum casus chirurgicos, quos in hac elaboratione non attendimus, quia in sensus cadunt, ideoque febrem intermittentem simulare nequeunt; quae vero a posterioribus cauſis originem ducunt, praesentis sunt considerationis. Laeditur autem viscus a cauſa interna vel per spasticam fortiorum conſtrictionem, e. gr. post vehemens pathema iracundum, vel per humorem in viscere congeſtum, stagnantem, obſtruente, et laidentem, vnde *ſtagnationes, infarctus, flasēs, apostemata, vomicae, empyemata, ſcirrhi, exulcerationes, et arrifionēs* proficiuntur. Sanguis enim, versus viscus aliquod maiori quantitate reſtrictus, ſtagnationem efficit, queaſi si adeo crescit, vt viscus infletur, *infarctus* audit; portio autem ſanguinis in nodulum arctiori ſpatio circumdatum collecta, dicitur *flasēs*, haec ſi in viscere congeſtione laboriosa et abſterſoria impugnatur, ita quidem, vt agiliores ſulphureae partes subtrahantur, languidae autem in pus conuentantur, talis nodus, fanguine et pure repletus, vocatur *apostema* ſeu *abſcessus*; abſcessus vero tunica inuolutus vocatur *vomica*, illaque disrupta et effluens nomine *empyematis* insignitur; tumor porro induratus, ab humoribus magis magisque ſpifleſcentibus, et, exhalatis ſenſim aqueis portionibus, ſicceſcentibus, originem ducent, *ſcirrus* nuncupatur; tandem *exulcerationes* produnt,

eunt, quae solutionem continui inferunt, et a corruptione humorum seroso-lymphalium et enata hinc partium adiacentium solidarum colliquecente dissolutione originem ducunt, atque materiam ichorosam, saniosam et limpido-acrem recondunt; quibus merito adiungimus viscerum arrosiones, ab humore deprauato acri, praesertim bile, dependentes. Laesiones reliquas rariores, e. g. concretiones, circumvolutiones intestinorum, aneurysmata, quium ad scopum nostrum non pertinent, praeterimus. Confr. Dissertat. sub Praesidio DNI. PRAESIDIS defensam, *de viscerum laesionibus rite diuidicandis et congrue tractandis.*

## §. III.

Consideratis laesionibus, *motus* naturae quoque erunt addendi, qui *ordinarie* has laesiones excipiunt. Hi itaque sunt motus *congestorio-spastici*, *febris quartana*, *haemorrhagiae* et *diarrhoeae abstergentes*, *febres inflammatoriae*, *lentae* et *hæclicae*. Qui tamen non promiscue, sed pro laesionum, aliarumque circumstantiarum differentia instituuntur. Ita *stagnationibus*, *infarctibus*, *leuioribus arrosionibus* opponuntur motus *congestorio-spastici*, *febris quartana*, *haemorrhagiae* et *diarrhoeae abstergentes*; quibus etiam armis *vomicae* et *scirrhi*, infelici autem plerumque fidere, oppugnantur. Verum etiam hi enarrati motus secundum specialissimas causas e. gr. aeratem, sensibilitatem, loci affecti conditionem, diuersimode determinantur; quas tamen specialissimas determinationes hoc loco praetermittimus. Quando autem sub his motibus laesiones nihil feciunt, tunc instituuntur motus vniuersales continui lenti se- et excretorii, quos febrem lentam appellamus.

B

Ad

10 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

Ad *flasas* vero, et *grauiores arrofiones* congeritur copiose sanguis, qui motu suo impetuoso tumorem rubore et ardore praeditum seu *inflammationem* producit, quae febrem adeo frequenter comitem habet, ut teste COSCHWITZIO in *Pathologia Edit.* Lips. 1745 pag. 174. ad essentiam quasi illius pertineat, signumque diagnosticum inflammationum internarum constituat. *Apostemata* denique, *empyemata* et *exulcerationes* per febrem hecicam, plerumque tamen sine emolumento impugnantur. Confr. Celeberr. STAHLII dissertat. de febre hecica *abscessuum* *ulceroorum* *internorum* certo comite, anno 1710. edita.

§. IV.

Hi sunt ordinarii motus, qui viscerum laesioni- bus opponuntur: nunc de *extraordinario* motu, nimirum de febre intermitte, quae viscerum laesiones aliquando impugnat, mihi oratio erit. Datur nempe in praxi medica non solum transitus a morbo uno ad alium, dum una caussa morbosa aliis caussis morbosis aditum praebet; verum etiam alia species permutationis morborum, quando, caussarum materialium stante paritate, morbi nihilo secus locum atque typum mutant. A priori mutatione dependent morbi consequentes; a posteriori transfigurationes seu metaschematismi morborum. Vid. Celeberr. STAHLII *Dissert. de Metaschematismis morborum* §. I. Anno 1707. edit. Ad posteriorem classem pertinet thema nostrum, nam laesiones viscerum manent laesiones et motus tantummodo aliud induunt typum. Febrem autem intermittentem ordinarie causam materiale in primis viis agnoscere, eamque vel acriorem bilem, vel cibos dyspeptos, vel serum in ventriculum depositum esse, constat; quare hanc rem vbe- rius

DE SIMVLATIS FEBRIBVS INTERMITT. CET. II

rius explicare superfluum esset. Ast potius valebit, ad illustrationem per simile, de febribus intermittentibus adnotare, eas non infrequenter varios morbos simulare, quod assertum probamus auctoritate RICHARDI MORTON *Med. Doct. R. Coll. Lond. Soc. et Cens.* qui in *operibus medicis Amstelodami anno 1699. edit. in Tomo secundo de morbis vniuersalibus acutis. Cap. 9.* proteiformem febris intermittentis genium sifit. Nimurum ibi ostenditur, febrem intermittentem varios interdum morbos simulare, vomitionem, diarrhoeam, phthisin, spasnum vniuersalem, colicam, hemicraniam periodicam et apoplexiam. Singulorum fidem adstruunt historiae XXX. statim adiunctae. Sicuti vero ex hac DN. MORTON experientia percipimus, febres intermittentes alios morbos simulare, ita mea elaboratione illustrabo, quod alii morbi, nempe viscerum laesiones, simulare febres intermittentes soleant; seu, quod idem est, DN. MORTON adnotauit, materiam febrilem (quam vocat Auctor citatus fermentum febrile, spiritus imbuens, expandens, febremque ordinarie producens) sine motu febrili, et hac dissertatione exhibitur motus febrilis sine materia febrili. Vtraque sane experientia viua voce quasi eloquitur, non solam materiam febrilem sufficere ad motum febrilem actu et efficienter producendum. Quilibet praeterea peruidet, me hoc loco febres intermittentes quotidianas et tertianas, earumque duplicationes et non aequa quartanas intelligere, quia de illis febribus sermonem instituo, quae laesiones viscerum dissimulant, de quartana autem, vtpote ordinarie easdem laesiones excipiente §. III. dici nequit, quod laesiones simulet.

12 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

§. V.

Veritatem facti seu existentiam febrium intermittentium simulatarum nemo quidem peritorum Medicorum negabit, sed eosdem casus sub hoc titulo rarius in obseruationibus eorum reperiri, ille haud mirabitur, qui considerat, non omnibus de vna eademque re eandem esse appellationem et sententiam. Res ipsas eloquuntur, simulationes autem non designant, quas tamen attentus ad easdem facile cognoscet. Obseruatetus itaque benevolus Lector plura de febribus simulatis inueniet exempla.

§. VI.

Quaedam interim subiungam. GOCKELIVS *Cent. II. Conf. 78. in Gallicinio pratico* refert de Barone LXIII. annorum, qui febre tertiana duplice, quotidie hora quarta vespertina irruente (quotidianam fuisse potius mihi videtur), cum stomachi inuersione ac vomitu, corporis atrophia hec̄tica, ventris tympanistica inflatio ne ac duritie laborauit. HORSTIVS *in Operibus medicis Tom. II. Lib. I de Febribus Obs. 17.* describere intendit, quotidianam ex praecedentibus viscerum obstructionibus ortam esse. PLATERVS *in Obseruationibus Lib. II. pag. 286.* exhibuit mulierem febre intermitente duplice laborantem, cui hepaticum obstrunctum et pulmones a defluxione infarctos fuisse iudicauit. FORESTVS *in Obseruat. et Curat. Med. Tom. I. Lib. III. Obseruat. XXI.* duos enarrat casus, quos propriis Auctoris verbis recensebo. „Vxor, inquit, longo tempore decumbebat „ex febre quotidiana intermitente, quae sub vesperam „inuadebat, et tota nocte apprehendebat, postea etiam „die, vt diurna magis spectaretur. Cum medicamenta „non

DE SIMVLATIS FEBRIBVS INTERMITT. CET. 13

„non iuuarent, tandem ad hecticam deuenit, postea ad  
„tabem et pulmonis vlcerationem, vt multis annis mi-  
„sere vitam traheret mulier, quantumuis vetula, quae  
„adhuc superstes erat, dum haec scriberem, quamuis  
„miraculi initar cadaueris mortui ita viuit, vt non vi-  
„uere praestaret, cui e naribus tanta copia sanguinis flu-  
„xerit, vt vix dici queat, adeo vt eam illico morituram  
„esse dices, omnibus remediis tentatis nihil iuuanti-  
„bus. At christianus rusticus septuagenarius cum febre  
„quotidiana correptus esset, et medicamenta etiam non  
„proficerent, ad cachexiam crurium deuenit, mox ad  
„hydropem lethalem, qua cum diu conflictatus esset,  
„frustra adhibitis remediis, tandem interiit. „ Ad hos  
duos casus porro FORESTVS in *Scholio* haec addit ver-  
ba: „Haec ipsa febris (quotidiana intermittens) multis  
„moratur mensibus, et mortis suspicionem praebet,  
„estque ea, vt omnes alii referunt, periculosa, et vt  
„summatim rem complectamur, febres phlegmaticae,  
„caeteris paribus, biliosis et melancholicis sunt deterio-  
„res; cum autem in his laedantur et ventriculus et he-  
„par et splen, facile hac febre laborantes in cachexiam  
„et hydropem incident. Mutatur enim in alios affe-  
ctus periculosiores: et ita si aeger omni hora in hac fe-  
„bre quotidiana somnolentior euadat, ac grauitatem  
„quandam circa caput senserit, *caron* seu arab. *sabeth* ad  
„futurum notat. „ Nec non idem AVCTOR eod. loc.  
*Obseruat.* XXX. profert, puerum quinque annorum,  
cachexia et quasi hydrope, ventre admodum duro et  
prominente, aliisque membris valde gracilibus exilten-  
tibus laborantem, qui febre simul quotidiana affectus,  
feliciter tamen curatus fuerit. DN. PRAESES, qui ad

14 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

vrnas vsque mihi erit venerandus, sequentem casum  
benigne suppeditauit: „Studiosus Theologiae, optimae  
„spei iuuenis, strenuo studiorum cursu congestionibus  
„sanguineis, primum versus caput, deinde versus pe-  
„ctus directis, corripiebatur: quae molimina prioribus  
„quidem annis parciorem narium haemorrhagiam pas-  
„sim producebant, anno autem aetatis vicesimo secun-  
„do, imminente vernali aequinoctio, portio sanguinis  
„per haemoptysin satis copiosa excernebatur. Venae-  
„sectioni non erat adsuetus. Postea congestiones istae,  
„vicibus alternis iam superiorem iam medium cauitatem  
„insultando, iuuenem in statum, quem vocamus vale-  
„tudinarium, coniiciebant; praecipue autem a tempore  
„haemoptyseos tussim quodam modo molestam induce-  
„bant. Peractis ab hinc duobus mensibus febris acce-  
„debat, quae quotidie post meridiem primum frigore  
„ad dimidiam horam, deinde aestu arido trium quatu-  
„orue horarum (quo tempore mens saepius aberrans  
„obseruabatur) et denique sudore copioso scenam suam  
„praesentabat. Medicorum Halensium plures hanc fe-  
„brem pro intermittente genuina habebant: quoniam  
„autem pluribus hebdomadibus optima quaeque reme-  
„dia respuebat, venerandus Parens, verbi diuini mini-  
„ster, ad Medicos exterios, quos *Vinariae, Erfurti et*  
„*Gotiae* habebat sanguine iunctos, filium aegrotantem  
„mittebat, qui quidem omnes illam febrem itidem pu-  
„tabant intermittentem et pari sollicitudine tractabant,  
„hebdomade vero decima aegrum cum febre remitte-  
„bant. Halae nouo Medico commitebatur, qui tribus  
„paroxysmis prioribus, quos obseruabat, eodem errore  
„febrem iudicabat intermittentem genuinam: quum  
„vero

„vero sub quarto paroxysmo tussim suspectam audiret,  
„tum in illius originem inquirebat et experiebatur hae-  
„moptyseos praegressae rationem. Qua de causa Pa-  
„renti Abrahamo futuram Isaaci sui praedicebat immo-  
„lationem, quae etiam adpropinquante autumnali  
„aequinoctio sequebatur.

§. VII.

Praeposita veritate *facti* ad veritatem *causarum* indagandam progredior, et quaestione moueo, qui fiat, vt laesioribus viscerum typus febris intermittentis accedit. Priusquam vero *obliquum* explicandum suscipio, *rectum* seu modum fiendi febris intermittentis legitimae praemitto. Quicunque enim erroneum recti fouet conceptum, nunquam obliquum rite intelligere poterit; quia *rectum* est norma obliqui.

§. VIII.

Quemadmodum in omni febre materia quaedam peccans adeat, raro autem firma tantum fingitur idea: sic in febribus intermittentibus eam in primis viis vel circa easdem haerere, iam §. IV. indicaui. Quae materia peccans sine febre diu interdum tolerari potest et solet, quia in tenaci tantum muco plerumque consistit, ideoque praecipue periculum adferre nequit: quando autem sensu quodam molesto naturam adficit, tum actus seu labor febrilis ad illam excutiemadam accedit. Ante vero excussionem mobilis fieri debet, secundum aureum HIPPOCRATIS aphorismum: quem in finem motus tonici augmentum in peripheria corporis obseruat, praecipue spastica strictura in brachiis et cruribus, atque illius beneficio fluidae partes ad interiora ducuntur et aliquamdiu ibidem detinentur, vt serofae tenuiores

res portiones, quasi per filtrum colando, in ventriculum ac intestina inhalent, ibique materiam tenacem penetrando, disiungendo et abstergendo mobilem reddant. Quem absterisionis actum egregie secundat motus iste vehementer contremiscens, qui sub frigore maximo in peripheria, propter repulso ad interiora humores, contingit. Quamdiu hoc frigus cum horridis tremoribus durat, de insignibus circa praecordia angustiis aegrotantes conqueruntur, nausea quoque excitatur et sequentibus paroxysmis, quando materia peccans satimobilis facta est, per vomitum eiicitur. Peracta hac ventriculi purgatione, ingens lassitudo seu porius breuis quies a labore subsequitur, et mox calor repentinis incrementis succedit, cuius ope sanguis, qui per moram restrictionis spissior factus fuit, attenuatur, parsque illius in serum resolutus per sudorem excernitur. Quando tribus quatuorue paroxysmis hic purgationis actus feli-citer successit, febris successiue imminuitur, aegrotans subleuationem insignem persentiscit, et denique prorsus restituitur.

### §. IX.

*Rectum* hunc purgationis actum merito appellauimus, quia per illum, quod rectum est et salutare, obtinetur, ex contraria autem parte *obliquus* dici meretur, quando laesionibus viscerum accedit. Quid vero causae sit occa-sionalis, cur eiusmodi viscerum febres interdum intermit-tentis febris schema exhibeant, facile peruideri potest: in iis enim casibus coniunctum est vrgens vitium primarum viarum, quod actum febrilem ad indolis sua normam primum sollicitat; postea, quando materia peccans ex primis viis remota est, febrilis labor ad laesio-

laesionem tollendam bona intentione dirigitur, et in eodem intermittentis tenore per consuetudinis rationem continuatur. Eo autem facilius talis febris simulata locum inuenit in illis subiectis, quae ex actu chymificationis labefactato, dyspepsia fere continua laborant, hincque schemati febris intermittentis adeo consuescant, vt hoc contra qualemcumque materiam peccantem facile ingrediantur. Praeterea, si cuidam statuere placeat, quod nonnullae viscerum laesiones similem cum materia viscosa in ordinariis intermittentibus molestum naturae imprimenter sensum, illi non contrarius sum; supposito tantummodo axiomate: Vim aestimationis et imaginationis quandoquidem sensatione maiorem esse ad motum in corpore excitandum.

§. X.

Quoniam vero hae febres simulatae sunt et Medicorum officium exposcit, vt dijudicare valeant, num febris sit ordinaria, an potius viscerum laesio subsit, signis omnino ad simulationem diagnoscendam opus erit. Ad talia signa primo refero appetitum magis abiectum et eleictuum in febribus simulatis, quam in veris intermittentibus. Deinde rariorem ructum, flatum, vomitionum et diarrhaearum praesentiam; vt pote quae omnia vitium quidem in primis viis, non aequa autem laesiones viscerum concomitantur. Porro longiore durationem; quamquam enim me non fugit, febres legitimas interdum quoque esse contumaces, experientia tamen constat, quod congrua adhibita curatione, legitima intermittentis non facile ultra quartum septenarium

C

dura-

18 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

durare soleat. Hinc si per plures menses, optimis quoque remediis exhibitis, continuat, causa altioris indaginis utique erit metuenda. Praeterea signa laesiorum specialia obseruanda sunt: non enim fieri potest, quin vel motus dolorifici circa locum laesum, vel excretiones particulares, laesiorum praesentiam significant. Denique his signis accedit historia morbi praegressi. Medicum enim oportet, si dubius est, an febris praesens intermittens genuinae indolis sit, statim de historia morbi antecedentis sollicitum esse, ex qua deinde certior fieri poterit, num solum qualitatis depravatae vitium, an potius ad viscera determinatum praesto sit.

§. XI.

Praeterea quoque haec signa dubium quoddam refutant; quando nimirum quispiam iudicaret, febres intermittentes mere accidentaliter laesioribus viscerum aduenire, adeo, ut hae febres propriis suis caussis materialibus semper gaudent, et cum laesioribus, tamquam morbi complicati, tantummodo coexisterent. Tunc enim signa paragrapto antecedente prolati non obseruantur, sed eorum loco signa verae intermittentis febrem genuinam significabunt.

§. XII.

Progedior ad diiudicandum, in quantum schema talium febrium laesioribus viscerum conducat, vel minus? In genere quidem transfigurationes morborum mali ominis sunt, quare etiam Cel. STAHLIVS in *diff. de Metaschematismis* §. XCVI. ita eloquitur: „Praecipui „et plerique transitus morborum in alia schemata fere „etiam

DE SIMVLATIS FEBRIBVS INTERMITT. CET. 19

„etiam peiora contingunt; verum si genium febrium intermittentium attente perpendimus, facile intelligimus, mutationem in schema intermittens *per se* non esse nociam. Febris enim intermittens inuoluit apparatus motuum vitalium auctum, quo materiae in corpore peccantes resoluuntur, absterguntur et expelluntur. §. VIII. Quare emphatice dicit THOM. SYDENHAM in *Opusculis* pag. 72. „Profecto est febris „ipsa naturae instrumentum, quo partes impuras a pu- „ris secernit.“ Conf. Excell. DN. MADAI *Abhandlung von Wechsel-Fiebern II. Abhandlung* § 72. ad 87. Hinc talis febris, ad viscerum laesiones accedens, semper materialium peccantium resolutionem ac digestionem, abscessum ulcerumque abstersionem et purgationem tentat.

§. XIII.

Sed aliud est tentare, aliud finem obtainere. Effetus enim harum febrium differunt, quemadmodum laesiones diuersam habent indolem §. II. Quando itaque *flagrantes*, *infuscatus*, *leuioresque arrosones* tantummodo praesentes sunt, nihil optatius iitis laesioniibus accidere potest, quam febris intermittens: quia haec est resolutoria et abstensoria, vnoque die plus praefabit, quam motus particulares pluribus diebus efficiunt. *Stasis* autem et *gravioribus arrosonibus* vix umquam labor intermittens superuenit; quod si vero aliquando id contingaret, febris illa intermittens non esset contraria iitis laesioniibus, quia effectum praefstat placide resoluentem. Dubiae prognoseos sunt *scirrhi* et *vomicae*;

micae; quamquam enim bona interdum fortuna fieri potest, ut scirrhi successive resoluantur et vomicae detrudantur atque eiificantur; maiore tamen facilitate contingere solet, ut scirrhi accidente sanguine in apostema abeant, et vomicae ruptae empyemata exhibeant. Ac tum quidem frustra fere semper febres intermittentes instituuntur: quare satius est, si scirrhi intacti et vomicae occlusae manent. Quamquam enim, iudicante CEL. BOERHAVIO in *Commentario ad aphor.* 558. verissimum est, „quod saepe natura per febrem vincat tales morbos, „qui ad optima quaevis remedia rebelles manent;„ apostemata tamen et vlcera rarissime purgantur ex voto et consolidantur. Quam ob caussam febres intermittentes (alias ad mundificationem lentis et hecticis aptiores) nihil boni efficiunt, sed potius vires aegrotantium citius consumunt, ideoque lethalem exitum accelerant.

#### §. XIV.

Praeterea in diuidiendo effectu harum febrium notandum est, quod praedictarum laesiorum euentus vtique differat ratione viscerum, in quibus laesiones obueniunt: quo nobiliores enim illa sunt, eo periculo-  
fiorem euentum exspectare debemus. Porro viscera structurae membranaceae, quae sunt magis exsanguia e. g. ventriculus, intestina, raro laeduntur, et si omnino obueniunt in illis laesiones, tardos tamen faciunt progressus. Pulmones in sectionibus non raro reperiunt pleni scirrorum, licet eorum praefentiae in vita vix signum adfuerit; quod autem ad ipsam exulcerationem non facile perueniant, id ab eo dependet, quod  
in

DE SIMVLATIS FEBRIBVS INTERMITT. CET. 21

in illis accessus humorum non adeo facilis sit. In vi-  
febris vero, praecipue hepate, in quibus notabiles  
secretiones peraguntur, multo citius laesiones in dete-  
riorem abeunt statum. Conf. COSCHWITZIVS libro  
citato pag. 257.

§. XV.

Sufficientia haec pathologice et semiologice de fe-  
bribus simulatis in laesioribus viscerum dixisse; restat,  
ut practicam partem paucis subiungam. Ante omnia  
Medico ad primas vias esse respiciendum iudico, ita,  
ut materiam in illis haerentem, viscido-mucosam, per  
incidentia, digestiо-salina, item per resoluentia acri-  
useula vegetabilia praepparet, deinde vero blandis laxan-  
tibus vacuet. Hanc enim indicationem non solum sup-  
peditat materia peccans, quae in hisce febribus simu-  
lates saepius adhuc praefto est, sed etiam axioma Medi-  
corum generale: quod vacuatis primis viis facilior sit  
curatio in partibus internis.

§. XVI.

Qua ventriculi intestinorumque vacuatione per-  
acta, Medicus de ipsa febre simulata curanda occupatus  
esse debet: atque in hoc negotio omnis curationis car-  
do ad duo momenta referri posse mihi videtur; primum  
vt prudens ordinatio medicamentorum, laesioribus  
oppositorum, ne febrem turbent, instituatur, deinde  
vero, vt cautum motuum febrilium moderamen ad-  
hibeatur.

C 3

§. XVII.

## §. XVII.

Primo momento ut satisfiat, respiciendum erit partim ad tempus paroxysmi partim remissionis: praesentibus paroxysmis tantummodo temperantia, blanda resoluentia et abstergentia adhibenda sunt: nimirum pulueres ex absorbente acido vegetabili saturato, antimonio diaphoretico, nitro depurato et pauca portione cinnabaris compositi, iulapia et potionis, quae ex aquis scabiosae, chaerefolii, scorzonerae, buglossae, bellidis minoris, cichorii, plantaginis et geranii maioris parantur, emulsiones ex pineis, amygdalis et praeципue semine cardui mariae confectae, nec non mixtura febribus ex essentia scordii, tinctura bellidis minoris, liquoris terrae foliatae tartari mixta. Tempore autem remissionis proprius ad ipsarum laesionum conditionem medicamenta erunt adornanda, et quidem ita, ut in *stagnationibus* et *infarctibus* efficacia discutientia, qualia sunt mixtura simplex et essentia alexipharmacum STAH-LI; in *scirrhis* penetrantiora resoluentia, nimirum rad. ari, pimpinellae albae, helenii, apii, gummata resinosa, praeципue ammoniacum et succinum; in *arroso-nibus* mucilaginosa et gummata; in *apostematibus* denique et *exulcerationibus* temperatiora balsamica e.gr. terebinthina cocta, balsamus Peruvianus, de Copaiua, de Mecca et LOCATELLI exhibeantur.

## §. XVIII.

Quod autem secundo ad obtinendum motuum febrilium moderamen pertinet, illud quidem generatim per medicamina in paroxysmis antea commendata im-

petra-

petratur, si vero nihilosecius motus febries magis increbescunt, plura omnino temperantia, acida nimirum vegetabilia et mineralia dulcificata e. gr. Decoctum rad. acetosae cum vino rhenano pro potu, item clyssus antimonii, mixturae supra allegatae additus, frequentius exhiberi debent: ast ea tantummodo cautione, ne laesiones sint apertae, quippe quae acida haud tolerant. Verum enim vero ad has ipsas laesiones apertas, nempe abscessus et exulcerationes, febris intermittens exacerbata accedens, praecipue euadit lethifera; quare si luctuenter videmus, vires aegrotantium sub his motibus celeriter consumi, et materiam peccantem in dies simul augeri, vtique nihil restat, quam vt febris impetus cohibeatur. Quem in finem primo exhibere conueniet, puluerem ex corticis cascarillae scrupulo vno et sulphuris antimonii aurati vltimae praeципitationis granis duobus compositum, illumque quoquis bihorio per diem propinare. Quando vero huic pulueri febris minus auscultaret, propinandum esset electuarium ex conseruae absynthii, hederae terrestris, ana vncia fernis, cortice chiae drachmis tribus, extracti gentianae rubrae drachma vna, syrupi corticis aurantiorum q. s. vel loco electuarii folus cortex Peruianus lacte decoctus mane bibendus. Febre cessante balsamica continuanda et blanda vacuantia subiungenda erunt. Caeterum, qualem demum finem laesio ipsa sit consecutura, ab illius indole, gradu vel minore vel maiore differente dependebit.

§. XIX.

Quamquam vero ex regulis practicis quas suppeditaui, quilibet veram curandi methodum sine difficultate cognoscere

24 DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA CET.

cognoscere possit, vix tamen multum applausum mihi promitto : peruersa enim febres intermitentes curandi ratio adeo increbuit, vt plures inde clades et strages non attendantur, sed Medici, magni alias nominis, tales curationem adprobent immo doceant. Nihilo tamen minus id, quod veritas facti docet, libere effari conueniet: nempe eo maiora damna ab incongrua curatione harum simularum febrium dependent, quo notius est, quod viscerum laesiones longe periculosiores sint, quam illa materia, quae in febribus intermittentibus genuinis peccat. Praeterea symptomata specialia, viscerum laesioribus familiaria, accuratius inquirenda, et illa quae essentialiter ex laesionibus passiue fluunt, patienter perferenda ; quae vero actiue contingunt et excedunt, moderate supprimenda erunt; qua in re non omnes therapeutae possident necessariam circumspectionem.

T A N T V M.




Halle, Med. Diss. 1744-59  
VD 18



T430C

Rehd.





11

DISSESSATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE

# MVLATIS FEBRIBVS INTERMITTENTIBVS IN VISCERV M LAESIONIBVS

QVAM  
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS  
CONSENSV ATQVE AVCTORATE  
GRATIOSI ORDINIS MEDICI

PRAESIDE  
VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO  
**J. IOANNE IVNCKERO**

DICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROF. PVBL. ORDIN.  
AEDAGOGII REGII ET ORPHANOTROPHEI GLAVCHENSIS  
PRACTICO LONGE CELEBERRIMO  
PRAECEPTORE AC FAVTORE  
AD VRNAS VSQUE DEVENERANDO

## PRO GRADV DOCTORIS

MISQE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS INSIGNIBVS AG  
PRIVILEGIIS MORE MAIORVM SOLEMNI OBTINENDIS

H. L. Q. C  
AD DIEM AVGUST. MDCCCLVI.

PLACIDAE ERUDITORVM DISQVISITIONI SVBMITIT  
**IOANNES AVGUSTVS EVER**  
LAVENBURGENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE,  
IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.